



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Neapolitanvm In Samaria Avctoritate Gvaremvndi
Hierosolymitani patriarchae ad reformandos mores ecclesiae celebratum,
in praesentia Balduini Hierosolymorum regis, anno Domini MCXX. tempore

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

num tamen exhibuerit, ubi & colloquio suo domini papa legatis concesso, tandem inducias denuo quaeserit, propter generale colloquium cum principibus habendum, pro inuestituris scilicet ecclesiasticis, quas tantopere cogebatur amittere, ad vltimum vero idem apostolicus inacta inter se & regem concordia, synodalia praedecessorum decreta confirmauerit, aliaque nonnulla, quae res exigebat, nauiter addiderit: sicque post dies fere duodecim, in virtute Spiritus sancti rite finito Concilio, cunctos apostolica benedictione confirmatos ad propria redire permisit, vnumquemque cum gaudio. Et quamquam Vrspergensis 426. & Pandulphus in vita Callisti cum Onuphrio 997. episcopus & abbates, atque ideo mille circiter praelatos Concilio oecumenico interfuisse scribant, ego tamen potius acquiescendum esse putavi testimonio Sugerii abbatis, cum ille huic Concilio interfuerit, ideoque res his temporibus gestas melius cognouisse & descripsisse praesumatur.

An mille patres huic Concilio interfuerint.

CONCILIVM NEAPOLITANVM
 IN SAMARIA AVCTORITATE GVAREMVNDI
 Hierosolymitani patriarchae ad reformandos mores ecclesiae celebratum, in praesentia Balduini Hierosolymorum regis, anno Domini MCXX. tempore Callisti papae II.

NOTA.

Acta Concilii quae:

^a Concilium.] Causam vna cum actis Concilii Tyrius libro 12. belli sacri cap. 13. his verbis summatim describit: Eodem anno, qui erat ab incarnatione Domini millesimus centesimus vicesimus, cum peccatis nostris exigentibus regnum Hierosolymorum multis vexationibus fatigaretur, & praeter eas quae ab hostibus inferebantur molestias, locustarum intemperie & edacibus muribus iam quasi quadriennio continuo fruges ita penitus deperissent, ut omne firmamentum panis defecisse videretur, dominus Guaremundus Hierosolymorum patriarcha, vir religiosus ac timens Deum, vna cum domino rege Balduino, praelatis quoque ecclesiarum & regni principibus, apud Neapolim urbem Samaria conuenientes, Conuentum publicum & curiam generalem ordinauerunt. Vbi sermone ad populum habito, exhortationis gratia, cum apud omnes constare videretur quod populi peccata Dominum prouocassent, de communi statuunt consilio errata corrigere, & excessus redigere in modum, ut tandem ad frugem melioris vita redeuntes, & pro commissis condigne satisfaciennes, eum sibi redderent placabilem, qui peccatoris non vult mortem, sed magis ut conuertatur & viuat. Deterriti ergo de calo signis minacibus, & terra motu frequenti, clade quoque simul & famis angustia, & hostium proterua nimis & pene quotidiana instantia, per opera pietatis Dominum sibi reconciliare quarentes, ad morum erigendam conseruandamque disciplinam, viginti quinque capitula, quasi vim legis obtinentia,

ANNO
CHRISTI
1120.

tinentia, de communi sanxerunt arbitrio. *Que si quis legendi studio videre querit, in multarum archiuus ecclesiarum ea facile reperire potest.* Interfuerunt autem huic Concilio dominus Guaremundus Hierosolymorum patriarcha, dominus Balduinus Hierosolymorum ex Latinis rex secundus, Ebremarus Casariensis archiepiscopus, Bernardus Nazarenus episcopus, Rogerius Lindensis episcopus, Asquitillus Bethlehemitanus episcopus, Gildonus electus abbas sancte Marie de valle Iosaphat, Petrus abbas de monte Thabor, Achardus prior montis Sion, Gerardus prior sepulcri domini, Paganus regis cancellarius, Eustachius Graniers, Vvilelmus de Buris, Barisanus Ioppe constabularius, Balduinus de Rames, & alii multi utriusque ordinis, quorum numerum vel nomina non tenemus. Hanc Synodum, ait Baronius anno 1120. prope finem, tanta morum correctio consecuta est, vt per Dei misericordiam anno sequente 1121. Turcarum princeps aduersus Antiochiam cum magnis copiis rediens, apoplexia extinctus sit.

Qui Con-
cilio inter-
fuerunt?ANNO
CHRISTI
1121.

CONCILIVM ROMANVM I.

QVO CASSINENSIS MONASTERII ABBAS Oderifius consecratur, eiusdemque monachi a querela episcoporum absoluuntur, anno Domini MCXXII. tempore Callisti papæ II.

NOTA.

^a *Concilium.*] Res in hac Synodo gestas Romæ chronicon Cassinate commemorat lib. 4. cap. 80. his verbis: *Mense itaque Martio, preparatis que erant necessaria itineri, Romam, vt sibi a pontifice iniunctum fuerat, consecrandus aduenit. Ibi ab eodem papa, qui tunc forte Concilium celebrabat, honorifice consecratus, a cardinalibus Romaniſque nobilibus in magna est gloria habitus. In hac Synodo episcopi aduersus monachos inuidia inflammati cæperunt dicere, nil superesse aliud, nisi vt sublatis virgis & annulis monachis deseruirent. Illos enim ecclesias, villas, castra, decimationes, viuorum & mortuorum oblationes detinere. Conuersique ad pontificem, Decidit, aiebant, pudor, canonicorum honestas oblitterata est, clericorum religio corrui, dum monachi contempto celesti desiderio iura episcoporum insatiabiliter ambiunt, & omnes que sua sunt querunt: & qui mundum cum suis concupiscentiis reliquerant, his que mundi sunt inhiare non desinunt: & quibus per beatum Benedictum ultro quiescendi locus offertur, ad episcoporum iura rapienda die noctuque occupantur. Et cum varia ingeniis hincinde essent prolata sententia, tandem ex iustione abbatis vnus ex nostris surgens in medium, dixit: Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Sed tu Deus noster contere virtutem illorum, vt cognoscant quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Nam quid acturi sint fratres Cassini degentes, qui die noctuque omnipotentis Dei clementiam pro totius mundi salute implorare & exorare non desinunt, si concessiones Romanorum*

Acta Con-
ciliique.

Concil. Tom. 27.

G